Coelandri: Lacrymae Thorunienses. 1725

LACRYMÆ THORUNIENSES,

QVEIS

INFELICISSIMA OMNIQVE CRV-DELITATIS

GENERE CONFECTA CIVITAS

CRVENTAM CIVIVM

SVORVM MORTEM

ILLVDQVE FERINÆ IMMANITATIS

DIE VII DEC. A. MDCCXXIV

EDITVM EXEMPLVM

ACERBISSIME DEFLET,

AVTORE

COELANDRO.



Anno M DCC XXV.



ORbem alloquimur,
&, quotquot in eo estis, mortales,
non urbem, non provinciam,
non terræ partem,
sed quotquot mortali de genere vivitis,
humanitatisque sensum, quamdiu homines estis, nondum exuistis.
Id enim, quod nos tetigit', calamitatis fulmen,
non christiani, sed humani orbis,
exspectat sententiam.
Audite ergo,
si homines estis, si calidus adhuc vobis utroque sub pectore
rotatur sanguis,
audite quæsumus,
nisi, quod immane factu est, & dictu turpe, imo nefandum,
esse putatis.
Homines sumus, humana quæ & aliis inest, mente præditi.
Non feræ, non bruta,
aut quæ hominum animantiumque rapinis
intenta sunt monstra.
Verum, quod amplius, & christiani sumus,
qui Christi, Dei, de nomine gerimus nomen

cum

cum aliis idem.
Non inter feras vivimus, si physice æstimes, sed homines inter,
&, quod & hic notatu dignum,
inter christianos,
& nominis, & fidei, qua partem socios.
Nec subditi horum, sed socii sumus,
sacraque pariter atque civili libertate,
quæ dictamine rationis & regulis naturæ jam firmata est,
pacto insuper fœdereque sarcita fruimur.
Non sanguinem fudimus, non fœdifragi sumus, non læsimus Majestatis culmen,
Non ciemus turbas, non alimus seditiones, non toleramus tumultus,
sed votis, verbis, legibus, minis, vi denique armata manuque forti,
si quando fuerint exortæ, lites componimus.
Et tamen, quæ mortalis providentiæ conditio est,
hoc non obstante omni,
vel ringentibus nobis, oritur de fece vulgi tumultus.
Læsa pars in lædentem ruit, vim vi repellit;
sed se dum ipsam defendit,
modum forsan, non enim negamus, excedit.
Indignamur, qui summæ rei præsumus, precamur, minitamur;
sed ante jam, quam hæc aurem furibundæ plebis
vel feriunt, vel vellicant,
crimen omne commissum est.
Eo tamen rei summa redit,
quod vim inferentes vi repellantur, fores eorum diffringantur.
Fenestræ lapidibus reddantur perviæ,
diripiuntur imagines, altaria, ornatus, forsan & sanctorum ossa,
religioso, aut superstitioso, si mavis, destinata cultui,
parsque aceratur, pars asportatur, pars ignibus cedit.
Sed,
qui calamitatis nostræ fundus est,
Jesuitæ sunt,
quorum disturbantur idola,
Christianorum genus, sine christiana religione,

homines



homines humanitatis expertes,
Christianorum anthropophagi, hominum diaboli, diabolorum archangeli,
chrestiani, quoniam religionem lucro metiuntur,
suasque ipsorum & aliorum animas vendunt,
quibus & conscientia, & religio, & anima, & grex, & Rex,
quid? ipse Christus, venalia sunt,
homines, in quibus, quodcunque tandem est principium mali, expertum videtur,
quid in instrumentis malitiæ, versutiæ & stygiæ immanitatis,
Christianorum sanguinem sitientibus, producendis posset,
Deo exosi, hominibus infensi, bonis omnibus damnati,
quique nec amicis, nec inimicis, fidi sunt.
Hæretico enim non esse servandam fidem docent,
hocque ipso omnium pactorum fœderumque vincula,
quantum penes illos est, solvunt,
sed & suæ religionis socios clam insectantur,
aliorumque monachorum ordines persequuntur,
&, quod mireris,
in principum suorum aulis dominantur atque ubivis admittuntur secure,
cum tamen hi ne temporis quidem momentum ab eorum insidiis,
si minus eorum ex voto omnia gesserint,
tuti sint,
hominum monstrum, &, si mores spectes, insidiosum, fraudulentum, vafrum & immane.
Conscientia non terretur, quoniam suo sibi probabilissimo consulit,
Juramenta non curat, reservationes enim mentales habet,
Fœdera non servat, hæretico enim servandam fidem negat,
Peccata non pertimescit, cum philosophicum peccatum statuat,
hoc cucullatorum lupûm, leonumque genus,
nec misericordia ducurtu, quoniam libidini, gulæ, veneri, honoribus fortunisque tandem toti addicti sunt.
Inferiores premunt, hos enim pecudum loco habent,
æquales contemnunt, sibi enim solis placent,
superiores è medio tollunt, ne se superiores,
quos timeant, habeant.

Horum



Horum jam, exorto tumultu, nonnullis infertur injuria,
(Si id injuriam dicas, non, ubi innocens eſt, qui patitur,
ſed ubi agendi jus non habet, qui inſequitur)
Sede ſua eorum exturbatur idolum, corripitur,
igni committitur.
Et ecce!
Divinæ humanæque Majeſtatis læſæ crimen ſycophantæ interpretantur,
non niſi cruenta delinquentium pariter ac innocentium morte
expiandum,
quaſi illa humani generis carcinomata,
illi humanarum divinarumque legum riſores,
Dei eſſent perpetui in terris vicarii,
aut imagines eorum, ad peſſimam idololatriam comparatæ
divina, divinæque Majeſtatis æmula cimelia.
Sed & ſeditionem rebellionemque vocant,
quaſi ipſi eſſent principum legati a latere,
cum latrones principum & parricidæ ſint.
Quod autem calamitatem noſtram auget
inter Polonos vivimus,
gentem ſuperbam, aſperam, crudelem & iracundam,
quæque melius vatibus, quam ducibus ſuis, paret,
hoc eſt,
magis Jeſuitarum fraudibus, quam juſtiſſimi Regis voluntate,
regitur,
nobis autem noſtræque fidei omnium maxime infenſam.
Accuſator ergo Jeſuita eſt,
Delegatus Judex Jeſuitarum mancipium:
Quid ergo de nobis factum ſit, jam qui libet facile colliget.
Ubi enim, qui delinquit, jam ante delictum pro victima habetur,
quandocunque modo vel leviſſima fuerit data occaſio,
cruento offerenda theatro,
ubi, qui accuſat lupus, &, qui judicat, tyrannus eſt,
quid ibi aliud, quam mulctæ, carceres, tormenta, neces, & hujus
quidem
crudeliſſima genera exſpectari poteſt?
Nec ſic tamen noſtram facile attingetis, mortales! conjectando
calamitatem.

Ubivis

Ubivis enim gentium plectitur, qui delinquit;
hic, qui nec causa, nec socius, nec occasio delicti fuit.
Rapitur enim hic,
ut sanguinolentus modo & Poloni, & Jesuitæ, restinguatur furor,
Magistratus, subditus, summus, imus, nocens, innocens,
atque horum major, quam illorum numerus,
&, cum Jesuita sit, qui sine sanguine fuso læsus est,
cum imagines sint, quæ vulgi fuerunt expertæ rabiem,
parens & imperans adeo crudeliter excipitur,
ut animadverti severius in reos non potuisset,
si omnis Jesuitarum in partes esset laniata pecus.
Nec auditur hic & altera pars,
quod tamen jubet naturæ jus,
probat gentium moratiorum consensus,
si quidem non curat naturæ Jus nec Jesuita, nec Polonus,
ille Christianorum, hic gentium barbarus,
&, quod horrendum,
testis Jesuita est, ebrius & religione carens,
testis vulgus est, Jesuitæ artibus captus,
& qui ex parte, quæ facta sunt, nec vidit, nec præsens iisdem fuit,
hæcque omnia Jesuitico juramento, hoc est, nullo confirmat.
Rapit ergo
parcere nescia
Polonica Parca,
ex Magistratu Præsidem,
sed justum, probum, pium, canum & innocentem,
ex civibus vero sontes insontesque,
quotquot Jesuitæ dignos morte censent,
ebrii testes mortem meruisse confirmant,
cum tamen alter nunquam operi manum admoverit,
alter ne claustra quidem Jesuitarum unquam viderit.
Reliqui inter spem & metum ancipites hærent,
ut inter anthropophagos, quam Polonos, esse malint.
Sed Jesuita vitas,
miles fortunas eripit.
Hic enim tantum sibi rapiunt famelici crabrones,
ut, cum splendidis eorum splendida antea esset miseria,

jam,



jam, poſtquam in noſtros irruunt favos, habeant,
de quo, noſtra cum miſeria, ſplendide vivant.
Nihil ergo relinquit immanis cum Jeſuita Polonus
quam muros ædesque,
& ne has quidem,
& ſcholas enim, & templa, rapiunt,
& paupertatis ſenſum, mortisque metum, nobis ſolum relinquunt.
Vos ergo,
quotquot a chriſtiana religione alienæ eſtis, gentes!
judicate, quæſumus,
num perpeſſuri a vobis, hoſtibus, duriòra fuiſſemus,
quam perpeſſi hic a fidei ſociis & defenſoribus ſumus?
ſed ratio in promptu eſt,
Jus connatum colitis, quod Jeſuita ſpernit,
rationem amatis, quam Polonus neſcit.
Quum Jus autem & ratio homines inter & bruta diſcernat,
cur ferino dente nos Jeſuita & Polonus laceret,
jam facile patet.
Orate ergo, gentes:
â Jeſuita & Polono ſerva nos Domine!

